



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Imperatores Romani à Carolo V. vsq[ue] ad Ferdinandum II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

Concilio ad Concilium generale appellarunt, quæ appellatio typis edita est, & ab Ortuino Gratio citatur in libro, qui inscribitur, Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum. Defendunt hi Theologi Concilium Basiliens, Leonis vero illud negant legitime in Spiritu congregatum fuisse; & abusus Ecclesiæ Romanæ intolerabiles commemorant.

IMPERATORES ROMANI
à Carolo V. vsq; ad Ferdinandum II.

Maximilianus I. Imperio successorem reliquit, se suaque gloria dignum Carolum V. suum ex filio philippo Nepotem, Archiducem Austria, Regnorum 28. Regem, qui anno Christi 1519. die 28. Junii, ætatis 20. Francofurti ad Mœnum Imperator Romanorum electus est: cum antea Electores principes Imperium derulissent ad Fridericum, Saxonix Electorem, cognomento Sapientem, qui multis de causis dignitatem illam repudiauit, vt scribit Erasmus in Epistolis libr. 13. Epist. 4. In huius Caroli Quinti tempora incidit mutatio religionis, & reformatio Ecclesiarum pontificiarum: qua de causa Imperator multos & celebres conuentus habuit.

Historia breuiter sic habet. Cum Martinus Lutherus contra impias nundinationes indulgentiarum pontificiarum, anno 1517. Witeber-

gæ disputasset, indagandæ veritatis gratia, ab Eccio professore Heidelbergensi, Sylvestro priore, palatii Romani Magistro, Dominicano Monacho, nec non à Iacobo Hochstrata acerbissime excipitur: sed ille mascule pro veritate depugnat. Eadem de causa Romam citatur, sed venire eo, propter periculum, recusat, & per intercessionem Electoris Saxonix à Papa impetrat, vt non Romæ, sed Augustæ, apud Caietanum causam dicat.

Cum vero Caietanus ad minas descenderet, Lutherus, post vnum & alterum cum ipso conflictum, Augusta discedit, relicta ad Romanum pontificem appellatione. Sed cum videret, & pontificem serio hoc agere, vt Lutherum violenter opprimeret, & Romæ de ipsius scriptis, & tota causa iniquissime iudicaret, Lutherus à pontifice ad Concilium legitimum prouocauit. Interea scriptis aliquot neruosissimis veritatem cœlestem asseruit. paulo post pontifex Romanus bullam ad Electorem Saxonix misit, qua Lutherum pro deplorato hæretico declarauit, & excommunicauit; vbi Lutherus denuo ad Concilium pium & liberum prouocauit.

Tandem Wormatiæ anno 1521. die 17. Aprilis à Carolo Quinto Imperatore, in frequentissimo consessu procerum Imperii, inter Lutherum & Eccium, de agnoscendis & propugnandis ab illo editis libris, institutum fuit colloquium. LUTHERVS summa cum modestia periit, sibi errores obiectos

ex

ex verbo Dei demonstrari. Sed præualuit pontificis authoritas, vt Lutherus à Cæsare 8. die Maii, tanquam manifestus hæreticus, publico Imperii decreto, proscriberetur. Addidit insuper Cæsar edicto mandatum omnibus, vt finitis 21. diebus, per salui conducti codicillos, Luthero ad reditum concessis, operam darent, quo ille caperetur, & in Cæsaris potestatem redigeretur. Hæc finalis clausula proscriptionis proculdubio effectum suum fuisset sortita, nisi Fredericus Elector Saxonix eius rationem habuisset: quia viderat illum, non de re ipsa & doctrinæ qualitate esse in Comitibus auditum, sed vnum hoc cum eo actum, vt sententia sua cederet. Non deerant etiam in iisdem Comitibus Wormatiensibus, (teste Sleidano lib. 3.) qui Constantiensis Concilii decretum & vestigia secuti, fidem Luthero minime seruandam esse ducebant: sed huic sententiæ tum alios, tum Ludouicum palatinum Electorem restitisse vehementer aiunt, quod ad Germanici nominis labem atque dedecus sempiternum ea res pertineret. Quapropter non modo seruandam ei fidem, sed neque temere damnandum esse plerique censebant, eo quod magni res esset futura momenti, quicquid demum Cæsar decreuisset, quem in hac ætate positum, à pontificiis administris impelli videbant aduersus Lutherum, & exacui. Quod igitur Luthero fides fuit seruata Wormatiæ, constantiæ Imperatoris Caroli V. (licet ad instantiam Ecclesiasticorum non parum nurantis) acceptum ferendum est, & principum Electorum, præcipue

pue Ludouici Palatini, qui labem Constantien-
sem meliore fide eluendam censuerunt. Hinc
illa vox Caroli Quinti Imperatore digna: *Fidem
rerum promissarum, etiamsi toto orbe exularet, ta-
men apud Imperatorem consistere oportere.*

Interea proscriptus Lutherus, iussu Frideri-
ci Electoris Saxonix, à quibusdam fidis Nobi-
libus interceptus, ad locum quendam solita-
rium secreto deductus fuit. Ibi cum aliquan-
tum delitisset, Witebergam, in scio Electore,
rediit, & varia scripta edidit, quibus passim te-
nebras Pontificias in apricum protulit. Id Ca-
rolus Quintus ægerrime ferens, Ordinibus Im-
perii Norimbergæ, anno 1523. mense Martio,
denuo seuerè iniunxit, vt edictum illud Wor-
matienſe, communi consilio promulgatum, in
futurum magno studio seruari curent. Idem se-
uerissimum mandatum paulo post, nempe Idi-
bus Iulii repetiit, datis ab Hispaniis ad Procères
Imperii literis, quibus ipsorum in non seruato
Wormatiensi decreto siue incuriam, siue incon-
uenientiam grauitè incusauit. Verum cum
Ferdinandus, Cæsaris legatus, anno 1526. in
Comitiis Spiræ celebratis animaduertèret, Cæ-
saris voluntati, sine magnis motibus, in isto
turbulento rerum statu, morem geri non posse,
decretum illud Wormatiense sic attemperatum
fuit, vt interea, donec Nationale vel Oecume-
nicum Concilium, instinctu Cæsaris, habere-
tur, ita sese gererent omnes in sua quisque pro-
uincia, quo facti sui probabilem rationem Deo
& Cæsari reddere possent. Quia vero querimo-

R

nia

nia à maleuolis passim spargebantur, sub hoc
 autonomiæ operculo, noua horrenda dogmata
 ab Evangelicis cudi, & receptum securum para-
 ri; aliud decretum factum est in Comitibus Spir-
 sibus, anno 1529. cuius capita habentur apud
 Sleidanum lib. 6. quod tamen Principes quidam
 & ciuitates Sueuicæ, per oppositam protestatio-
 nem contrariam, & interpositam appellationem
 ad Cæsarem melius informandum, ad Conciliū
 legitimum, ad omnes denique Iudices minime
 suspectos, directam, impugnarunt, eo quod li-
 bertatem, superiori conuentu Evangelicis per-
 missam, impediri dicerent. Hæc Protestatio Cæ-
 sari Carolo 12. die Sept. anno 1529. fuit exhibita
 Placentiæ, & Nomenclationi isti, qua Euan-
 gelici vocantur Protestantes, originem præbuit.
 Nam vt Thuanus scribit lib. I. *Nomen hoc Pro-
 stantium ad omnes postea, qui eorum, qua perperam in
 religionem inuecta sunt, emendationem amplecti se
 professi sunt, ob idque à Romana Ecclesia defecere, ab
 ea origine, dimanauit.* Huius dissidii in religionis
 negotio exorti componendi gratia, Carolus V.
 Imperator in Italiam profectus est, cum Cle-
 mente VII. Pontifice Bononiæ ea de re locutus.
 Dehinc, ne suo officio deesse videretur, Comi-
 tia Augustæ Vindelicorum habenda indixit, ad
 annum 1530. Eo frequenter conuenerunt Pro-
 testantes, & suæ doctrinæ Confessionem scri-
 pro comprehensam Cæsari exhibuerunt, vtque
 ea in publico confessu recitaretur, tandem im-
 petrarunt.

Hæc

Hæc Confessio Augustana, authoribus Lutherò & Melanchthone confecta, à Protestantibus constantissime retenta, & publice diuulgata, in omnem oram orbis Christiani sparsa, & velut vltima tuba Evangelii Christi, ante extremum ipsius aduentum emissa est. A Cæsare vero & Pontificiis Principibus non fuit admissa; sed Cæsar aliquoties Protestantes hortatus est, vt donec Concilium cogeretur, interim eandem, quam ipse, & alii quoque Principes, religionem sequerentur: Tandemque in illis Comitibus Augustanis vltimum finale decretum fecit, vt in iis, quæ pertinent ad fidem atque Dei cultum, nihil quicquam immutetur; qui contra fecerint, corporis atque vitæ seu bonorum discrimen subeant.

Exinde Lutherus, cum omnia bellum spirarent, edidit librum monitorium ad suos Germanos, in quo eos hortatus est, ne impio edicto obedirent, neve pro idolis & libidinibus Pontificiorum pugnarent. Dissoluto etiam conuentu Augustano, Protestantes Principes cum sociis fœdus ineunt Smalcaldicæ, vt essent tutiores, si forte propter Evangelii Professionem armis pererentur. Sed lapsu temporis, paulatim rigor istius decreti Augustani, remisit, cum enim Turca, immanissimus Christiani nominis hostis, Germaniæ immineret, authoribus potissimum Alberto Moguntino, & Ludouico Electore Palatino, pax religioni Protestantium concessa fuit, vsq; ad futurum Cõcilium; sancitũq; ne interea liceret cuiquam ob religionem litem

mouere. Inita est hæc pax exoptata, inter Cæsarem & Protestantes, primum Sueinfurti; postea vero Norimbergæ in Comitibus, anno 1532. promulgata; magna omnium gratulatione: donec post multos annos, bellum Germanicum conflatum est, anno Christi 1546. quod Protestantium, Smalcaldicum, & Germanicum bellum dictum est. Illud bellum Germanicum, (inquit Thuanus histor. lib. II.) mole maximum, confectum facilimum, euentu felicissimum, Cæsarem Principibus fœderatis, & ciuitatibus Augustanæ Confessionis sociis, intra anni curriculum gessit. Fœderis Smalcaldici Duces fuerunt Ioh. Fridericus, Elector Saxonix, & Philippus Landgravius Hassiæ, qui contra Cæsaris proscriptionem se armis defendentes; succubuerunt, an. Christi 1547. dissipata magna peditum & equitum in Saxonia ad oppidum Mulbergam, & Syluam Lochanam copia: vbi Saxonix Dux Ioh. Frider. captus, & Cæsari Carolo V. adductus in custodiam datus est. Witeberga voluntate & iussu Ducis Iohannis Friderici Electoris captiui Carolo Victori se dedit: Philippus Landgravius Hassiæ Cæsari supplex factus Halæ Saxonum, præter opinionem in custodia detentus est: Saxonixque Electoratus à Iohan. Friderico ablati, & Mauritio Duci traditus solenniter: ciuitates & alii fœderis Smalcaldici socii multari, ingenti depensa vi auri, & argenti, tormentisque plurimis hinc inde à Cæsarianis conquisitis. Hunc exitum eo anno bellum Germanicum habuit: cuius historiam fusius complexi sunt Sleidanus & Thuanus.

Cum

Cum de Germaniæ libertate iam triumphare videretur Carolus V. Augustæ Vindelicorum Comitia celebravit, sed armata; ut terrorem incuteret Ordinibus Imperii. Præcipuum eius postulatum fuit, ut Principes omnes Concilio Tridentino se submitterent. Iisdem in Comitibus, Cæsaris iussu, Protestantibus inuitis ac reluctantibus, scribitur liber de Religione, qui postea Interim dictus est, & Formula illa Religionis usque ad Concilii finem servanda publicatur, anno 1548. 15. Maii. Liber ille, (ut Thuanus l. 4. hist. vere narrat,) capita complectebatur receptæ hactenus Pontificiæ religioni prorsus consentientia, nisi quod Sacerdotum coniugium non penitus damnabat, nec carnis & sanguinis Christi sub utraque specie communionem omnino reiiciebat, sed utrumque tolerandum esse proponebat, donec de tota re ex Concilii sententia decerneretur. Quo factum est, ut is liber, quantumvis Cæsar gravissimis verbis id vetuisset, contrariis editis scriptis ab utraq; parte impugnatus sit. Et quidem ex Ecclesiis reformatis nonnullæ prorsus Interreligionem istam repudiarunt: aliæ vero metu Cæsaris percussæ humani aliquid passi sunt. Hinc bellum Adiaphoristicum inter Theologos natum ex deliberationibus, an & quomodo liber Interim recipiendus, vel repudiandus sit. Hoc fuit primum schisma post Lutheri mortem inter Theologos Evangelicos exortum, Matthia Flaccio, eiusq; sociis litem mouentibus Melanchthoni, & aliis, qui de Adiaphoris, i. e. cæremoniis ac ritibus

externis, ex præscripto Interimistica formula; admittendis aut recipiendis; minus acriter pugnavisse illis videbatur, Ioh. Fridericus Elector Saxonie captivus, cum ei offerretur restitutio dignitatis amissæ, si assentiretur doctrinæ Interimisticae, spreta conditione, suam religionem abiicere noluit: ut scribit Thuanus, hist. lib. 5. c. 8. f. 131. ob hanc constantissimam recusationem inter suos Constantis nomen ac laudem meruit.

Cæsaris quoque edicto de recipienda religionis formula, Magdeburgum, celebris Saxonie ciuitas, parere recusabat. Iccirco à Cæsare proscripta, eiusque iussu, a Mauritio Saxone, & Lazaro Suendio obsessa, obsidionem arctissimam fortiter pertulit anno vno, & mense vno. Tandem ex his difficultatibus Magdeburgenses anno 1551. emerferunt, & mense Nouembri celebre illud bellum feliciter confectum est. Historia integra petatur ex Sleidano, Thuano, & aliis libris editis.

Post pacem cum Magdeburgicis factam, ubi vidit Mauritius fidem de Hesso socero liberando datam non præstari, & religionis Evangelicæ, in Augustana Confessione comprehensæ, adeoque libertatis Germanicæ iugulum aperte peti: occasionem, quæ se offerebat, arripuit, & summam, quam Cæsar illi & Imperii ordines in Germanicas copias concesserant, potestatem in Cæsarem ipsum vertit: quem immortalis cum nominis sui gloria, post longas disceptationes, permouit ad transactionem pacificam, Passaui anno 1552. tractatam, & à Cæsare ob signatâ, qua
reces-

recessum cautūq; fuit, vt religionis causa pacata maneret, neq; ob eam in posterum cuiquam molestia crearetur: vt est apud Sleidanum li. 24. vbi conditiones huius transactionis Passauiensis memorat: & Thuanum lib. 10. Atque hæc est secunda pax religionis: & ita liber Interim, exacto quatuor annorum spatio exspirauit. Eodem hoc bello Concil. Trid. dissipatum est. Ioh. Fredericus Elector Saxonie ex captiuitate dimissus, die 19. Maii, antequam Cæsar Veniponte profugeret: Landgravius vero 4. Sept.

Cum vero in transactione illa Passauiensi inter cætera decretum esset, vt intra sextum mensem Cæsar ageret Imperii conuentus, ac tū, quæ potissimum ratione dissidium religionis cõponi debeat, deliberaretur: Comitibus quidem istis in annum 1555. dilatis, tandem tamē Augustæ Vindelicorum habitis, imperante adhuc gloriosissimo Cæsare Carolo V. & ipsius vices gerente Ferdinando fratre, Romanorū Rege augustissimo, pax religionis inter Romano-Catholicos, & Augustanæ Confessionis socios, etsi in doctrina conueniri non posset, sancita est: nec non posteris temporibus, in omnibus fere Comitibus Imperii, religiose confirmata, cum renunciatione omnium beneficiorum iuris, & constitutione pœnæ seueræ, violatoribus huius pacificationis certo infligendæ: sicut hæc de pacificatione legi potest recessus Imperii, anno 1555. & qui compendio illam refert, Sleidanus li. 26. Pro quo insigni beneficio, & Palladio Germaniæ merito ingentes Deo gratias agimus, eumque deuote oramus, vt posthac pacem illam inuio-

latam, & contra tot machinamenta hominum
irrequietorum firmam præstare velit.

Cæterum Carolus V. Imperator gloriosissimus,
plura alia bella gessit, de quibus dixi in historia
nostræ profanæ Medulla: maiora haud dubie ef-
fecisset, nisi à Pontificiis odio religionis rebe-
mataæ ardentibus, incitari sese & armari ad tra-
sus Evangelium profidentes passus esset, latius
que de religione leges novas seuerius execu-
cœpisset. Compertum est, victoriam de Iohan-
ne Friderico Saxone omnis felicitatis illius fi-
nem ac quasi terminum fuisse. Nec post op-
pugnationem Magdeburgicam vllum fortunæ
prosperæ flatum expertus est. Quare à Mauricio
Saxonix Electore ex Oeniponte Vrbe, in qua
pro Concilio Tridentino excubabat, fugatus,
tanquam exiturus è mundo, & Deo vacaturus,
relicta Germania in Hispaniam nauigauit, anno
Christi 1566. Imperii vero gubernationem om-
nem fratri Ferdinando, Romanorum Regi, an-
no 1558. commendauit, nec multo post in Mo-
nasterio Ordinis S. Hieronymi ad S. Iodocum,
inter pias preces placidissime exspirauit, die 21.
Sept. ætatis 59.

Ferdinandus Primus, Caroli Quinti frater,
delatum ad se ab Ordinibus Imperium, Franco-
furti ad Mœnum plenarie suscepit, anno repa-
ratæ salutis 1558. die 18. Martii: sed Pontifex
Paulus Quartus, Ferdinandum, quoad vixit,
pro Imperatore agnoscere noluit, quod se in seio
Imperium accepisset, & pacem Lutheranis de-
didisset.

Eo enim regnante, anno 1552. Passauiensis tractatio obtenta est, in qua Pax profitentibus Augustanam Confessionem concessa est. Hæc transactio (vt paulo ante dixi) Concilium Trid. dissipauit, pacem in religione constituit, captiuis Principibus libertatem reddidit, & libro Interim finem attulit. Hanc anno 1555. securum est decretum pernobile, ne Principi, Comiti, aut ciuitati Imperiali vlli bellum inferatur, aut quocunque modo vis adhibeatur, aut noceatur, doctrinæ aut religionis causa. Quod anno 1559. Augustæ in conuentu Imperii renouatum & confirmatum est, cum exequiæ funeris Carolo V. factæ sunt. Sub hoc igitur Augustissimo Imperatore Ferdinando Germania alta pace Passaui-ca quieuit. In Gallia vidit intestinum bellum enasci, ob religionis mutationem, Guisio & Condæo Principibus grauissime inter se dissidentibus: vnde multæ cædes, vrbium vastationes, & alia incommoda nata sunt, præsertim Evangelicis. A Pio Quarto Pontifice integrum vsum cænæ Dominicæ pro suis impetrauit. Tandem tabe catarrhali consumtus obiit, anno 1564. ætatis 61. Imperii 7.

Ferdinando successit Maximilianus II. filius, Hungariæ & Bohemiæ Rex, pari pietate, moderatione, æquanimitate, fide atque humanitate, præditus Princeps: qui cum Religionem distractam & laceratam rot opinionibus ac sectis videret, ex animo quidem dolebat, sed æquum tamen sese his, qui Evangelii ñ profitebantur, præbebat, nec cursum eius vlllo edicto duro retar-

R. 5,

dabat.

dabat. Religionem enim Christianam armis propagari, aut inuitos ad eam cogi, dictis factisque improbauit. Vnde audita est eius præclara ad Olomucensem Antistitem Gulielmum vox hæc: *Nullum peccatum grauius esse, quã conscientias velle dominari.* Addidit etiam hoc; *qui in conscientias sibi Imperium sumunt, eos cæli arcem inuadere; nec rari potestatem, quam in terris habent, amittere.* Itaque pacificationem Passauiensem non minori studio & cura, quam pater Ferdinandus adiuuit, tutatus est, & custodiuit: tum Austriacæ etiam Nobilitati Confessionis Augustanæ doctrinam anno 1568. permisit. In Belgio & Gallia motus vidit magnos, post introductam Hispanicam Inquisitionem, & Trident. Concilii executionem. His tamen turbis & persecutionibus sese implicari nunquam passus est. Tandem continuis doloribus, ex palpitatione cordis, aliisque corporis infirmitatibus, Ratisbonæ, Principum Imperii agens conuentum, ipso die Maximiliani, inter pias & ardentis preces, firmaque fide in Christum seruatorem, animam, vnde erat, beatus beatis reddidit, anno 1576. 12. Octobr.

Successorem Imperio reliquit Maximilianus, filium Rudolphum II. Ratisbonæ in Comitibus Imperatorem designatum, & antea Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorū Regis titulo condecoratum: sub quo multa etiam memorabilia in Ecclesiasticis acciderunt. In Belgio enim motus ob religionem continuati sunt, ad Antuerpiam, & alia loca. Aquisgranæ etiam, Coloniaeque ob libertatem religionis diu multumque dimicatum est, tandem

tandem submotus Gebhardus Trucsesius, qui religionis utriusque libertatem iuxta pacificationem veterem subditis concesserat. In Gallia non minus periculosa bella gesta fuerunt, ob religionis dissidium. In Germania tranquillus sic satis fuit status sub optimo hoc Imperatore Rudolpho; nisi quod ob Calendarium Gregorianum anno Christi 1582. introductum, Augustæ Vindelicorum, & alibi tumultuatum est; itemque in agro Coloniensi; & Argentinensi, ubi decedente è viuis Iohanne à Manderscheid, Episcopo, ob duos simul diuerso Canonicoꝝ calculo electos Præsules, bellum exortum est: Evangelicis Iohannem Georgium Brandenburgicum, Pontificiis Carolum Lotharingæ Cardinalem, non sine magno totius prouinciæ damno, defendentibus: quibus malis tamen, bonitate, cōsilio, prudentia, virtuteq; Cæsaris obuiam itum est, & remedia allata. Sub hoc etiam Imperatore Rudolpho, circa annum Domini 1610. Halæ Suevicæ conuentum egerunt Principes Evangelici, in quo conuentu Vnio præcipuorum Electorum, principum, Comitum, ciuitatumque protestantium, firmata est. Male habuit ea Vnio pontificios, nescio quid factiosum illi subesse suspicantes. Itaque ex parte Catholicorum, ab Ecclesiasticis & politicis personis quamplurimis, eodem anno conuentus Herbipoli celebratus est: & Ligæ vulgo dictæ fundamenta iacta. Cuius occasione bellum intestinum in Germania enatum esse videtur.

Posteaquam vero Imperator Rudolphus, felicis reminiscentiæ, anno 1612, die 10. Ianuarii, Pragæ in fata concessisset. Dei benignitate, ac concordi Principum Electorum suffragio, ad supremum Imperii fastigium euectus est, Serenissimus Hungariæ & Bohemiæ Rex Matthias: qui anno 1610, mense Martio, in Austria religionis exercitium quarto etiam seu plebeio statui permisit. Sub eodem Iubilæum Evangelicū non solum in Saxonia, sed & aliis Protestantium, Reformatorumq; Regionibus, Prouinciis & ciuitatibus, magnā solennitate celebratum fuit, anno 1617, sub initium Nouembr. Qua de re legatur Iubilæus Academicus, in Academia Heidelbergensi, & Argentinensi celebratus.

Viuo adhuc Cesare Matthia, gubernacula regni Bohemici & Hungarici suscepit, Ferdinandus II. Archidux Austriæ, Ferdinandi I. Imp. nepos: anno 1617. Is statim atque prouincias suas Austriacas possidere cœperat, Evangelicos in Styria vehementissime persecutus est, & iuramentum præstitit, quo se religiose ad Evangelicos omni conamine extirpandos obstrinxit. Post susceptionem & coronationē Regni Bohemiæ, Sectæ Lolitanæ instinctu, diuersis in locis regni istius & incorporatarum prouinciarum, Status Evangelicos per Vicarios suos ferro & flamma persequi aggressus est, eosq; rebellionis accusauit, templa Evangelicis clausit & solo æquauit, alios proscriptos, patria, aris, focusq; expulit: carceribus deniq; vinculis, compedibus, aliisque tormentorum generibus ad necem usque maceravit. Post.

Post mortem Imperatoris Matthiæ, Anno 1619. Francofurti à Sacri Imperii Electoribus in Regem Romanorum & Imperatorem electus & euectus est: Status interea Regni Bohemiæ, & Incorporatarum prouinciarum, repudiato Ferdinando, ad noui Regis Bohemiæ electionem processerunt: Et diuina sic moderante prouidentia, electio ad Fridericum V. Electorem Palatinum, potissimum deuoluta est: qui eodem etiam anno 1619. Pragæ coronatus, ad Regni Bohemiæ Diadema, Regiæque Maiestatis fastigiū peruenit. Quam deplorandæ hinc seditionum, ac intestinorum motuum flammæ, quæ rapinæ, cædes, vastitates, Regnum non tantum Bohemiæ & Hungariæ, sed & Palatinarum, totamque adeo Germaniam, inundarint, ac extremis calamitatibus inuoluerint; notius est, quam ut longiori commemoratione refricandum videatur. Nemo est, qui non summo cum commiserationis affectu, velut oculis subiectam, spectet squalidam & afflictam charissimæ Patriæ nostræ faciem.

PONTIFICES ROMANI A LEONE X. vsque ad Urbanum VIII.

LEO X. Florentinus, Iōannes Medices ante Papatum dictus, Iulio II. successus est, Anno Domini 1513, Inuitauit sua liberalitate viros doctos è Græcia profugos, & literarum instaurationem in Italia plurimum adiuuit. Doctissimis enim præceptoribus vsus, Angelo

R. 7

præ-